Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26419
Copyright: Admont, Benediktinerstift

per eos agere voluerit. Qui iniuste aliquid velle non novit, operatur in corde hominis ut iustam admonitionem non audiat, vel iniuste irascatur ei deus. In propheta ipse dicit: Ego dominus seducam prophetam illum. Item. Adam vero homini posito in paradyso precepit deus: De omni ligno in paradyso comede. De ligno scientie boni et mali ne comedas et cetera. Oportebat ut homo sub domino deo positus aliunde prohiberetur, ut ei promerendi dominum suum virtus esset ipsa obedientia, que sola virtus est rationali creature degenti sub dei potestate. Primumque et maximum vitium tumoris esse ad ruinam suam velle uti potestate, cuius vitii nomen est inobedientia. Non esset ergo unde se homo dominum habere cogitaret atque sentiret, nisi ei aliquid iuberetur. Arbor illa non erat mala, sed appellata est scientie dinoscendi malum et bonum, quia si post prohibitionem de illa homo comederet, futura erat in ea precepti transgressio, in qua homo per experimentum disceret quid interesset inter obedientie bonum et inobedientie malum, id est superbie et contumatie.

Item. Ab eo ligno quod malum non erat prohibitus est homo, ut ipsa per se precepti conservatio bonum illi esset, et transgressio malum. Nec potuit melius commendari quantum malum sit sola inobedientia, cum ideo reus factus est homo, quia rem tetigit contra prohibitionem, quam si non prohibitus tetigisset, non utique peccasset. Quare ergo prohibitum est? Non ut ipsius per se bonum obedientie et per se malum inobedientie monstraretur. Denique a peccante nichil aliud appetitum est, nisi non esse sub dominatione dei, quando illud admissum est, in quo ne admitteretur sola debuit iussio dominantis attendi. Que si attenderetur, quid aliud quam dei voluntas humane preponeretur? Dominus quidem cur iusserit viderit. Faciendum est a serviente quod iussit, et tunc forte videndum a promerente cur iusserit. Magna quidem est utilitas homini quod deo servit. Qui iubendo utile facit quicquid iubere voluerit.

Quare mulier. d. e. v. f.

Sed et serpens erat callidior et cetera. Et dixit serpens: Nequaquam morte morieris et cetera. AUGUSTINUS.

Item. Illis primis parentibus iam vita dulcis erat, quam amittere devitabant, nec aliter posset eis persuaderi peccatum, nisi prius persuaderetur eos ex illo facto non esse morituros, id est illud quod habebant et se habere gaudebant non amissuros. Item. Si queritur cur deus temptari permisit hominem, quem temptatori consensurum esse presciebat: non michi videretur magne laudis futurum fuisse hominem, si propterea bene viveret, quia nemo male vivere persuaderet, cum et innatum posse et in potestate haberet velle non consentire suadenti, adiuvante deo. Cur ergo temptari non sineret quem consensurum esse presciebat, cum id facturus